

M. D. XXXVIII.

1539

QUæ superiore anno ad Aëtiacum promontorium gesta fuerant; amissa non semel conferendi cum hoste certaminis occasio; Neocastrum ab Hispanis occupatum; Auriae e Corcyra discessus; exigui ad tantum bellum administrandum sociorum apparatus, quo in periculo Respublica versaretur, indicabant: quæ universum fere gravissimi belli pondus sustinere cogeatur; cum in sumptus immensos publicæ, ac privatæ opes vix suppetere. Verum is erat Senatus ardor, atque in tuenda Republica constantia, ut nihil vel ad pecuniam colligendam, vel ad classem augendam, ac reficiendam, vel ad oppida, atque arces muniendas prætermitteret. Ut iis, qui argentum in ærarium conferrent, ad quadriennium in singulos centenos nummos quaterni penderentur, latum est: duplex vectigal, quod *taxam* vocant, civitati impositum: ut duo item, quæ vocant *subsidia*, e continentis ditionibus exigentur, decretum. Joanni Mauro classis imperatori designato, qui Cretæ summum armorum imperium gerebat, ut viginti triremes ex insulæ accolis instrueret, viginti in id aureorum milibus transmissis, mandatum; ut prætoria triremis, qua vexillum illi deferrebat, Corcyram perduceretur (huc enim e Creta profecturus erat) iussum. Verum biduo ante quam classis imperator creatus fuisset, Maurus obierat. Nam, tumultu inter Italos milites, & Græcos oborto, cum ipse armatis stipatus ad illum sedandum accurrisset, lapide caput ictus, paulo post ex humanis excesserat; atque eo rixa, ac seditio processerat, ut nisi Antonii Amulii Ducis virtute, qui insignibus magistratus ornatus prodierat, auctoritate compressa esset, funestum exitum habitura videretur. Joannes Viturius eques in Cretense imperium suffectus, Cretam contendit: in eos, qui duces tumultus fuerant, severe animadvertit. Maris imperio Thomas Mocenicus majoribus comitiis præfectus est. In Illyrico, Aloysio Baduario in patriam reverso, Marchio Michaelius successor datus est. Guidoni quoque Ubaldo, Urbini Duci, stipendium est auctum: centum cataphracti, totidem levioris armaturæ equites, decem militiæ præfecti, qui ære publi-

*Vestigalia a
Senatu im-
pressa.*

*Joannes
Maurus,
classis im-
perator, in
Cretensi tu-
multu occi-
ditur.*

*Antonii
Amulii,
Creta du-
cis, virtute
seditio com-
pressa.*

*Joannes
Viturius in
Cretensi im-
perio Mauro
suffectus.*

*Thomas
Mocenicus
classis impe-
rator.*

*Marchio
Michaelius
in imperio
Illyrico Ba-
duario suf-
fectus.*

*Guidoni
Ubaldo, Ur-
bini Duci,
stipendium
auctum.*